



Q.K.260,9a.


MEMORIA
PHILIPPI MELANCHTHONIS
ANTE DVO SAECVLA MORTVI



EXERCITATIO HISTORICO-CRITICA
FRIDERICI IMMANVELIS SCHVVARZII



TORGAVIAE,
LITERIS RÜDELIANIS.



ALTONA
ACADEMIA IMPERIALIS

YNTRODUCTIONE SOCIALE

ALTRIGGIO
CONSTITUTIONALISATIONE
TERRITORIUM VENETIENSIS

COLLECTOR
EDITIONES RARITATIBUS PRAECEPS



A. Ω.

§. I.

Decessit ante hos ducentos annos vir tanti ingenii ac studii, quatae apud omnes literis politas et bene moratas gentes famae, apud summos principes et amplissimas republicas auctoritatis, apud suos vero, a quibus non tam amatus, quam potius aliqua religionis specie cultus est, maiestatis, PHILIPPVS MELANCHTHON, vir omnium saeculorum memoria dignissimus. Hic est ille Germanus, cui tanquam felicissimo literarum restauratori atque interpreti non tam Saxonia, et Germania, quam vniuersa Europa literas pristino nitoru suo restitutas, et sacra Christiana a labe superstitionis humanae in primisque pontificiae repurgata, magnam partem accepta refert. Dignus igitur, cuius memoriam et cineres reverantur omnes, qui et iustum literis, quae eo doctore quasi reuixerunt, et Christianae religioni, puritate ac simplicitate apostolica ornatae, pretium statuunt,

A 2

Tan-


¶

Tantae vero insignis huius viri sunt virtutes, et tanti tamque
tristes ex altera parte lapsus, ut difficile sit, medium tenere cur-
sum, nec in eo laudando, ut multis accidit, omnem humanae
venerationis modum excedere, nec in eo vituperando omnem
humanitatem exuere. Si enim eius inspicias laudatores, ni-
hil PHILIPPO maius, perfectius, atque excellentius esse, magno
verborum apparatu, magna cum animi vehementia atque
ardore, contendi ab illis videris; sin vero nimis rigidos et pau-
lo inhumaniores PHILIPPI censores audias, nihil vilius atque
abiectius MELANCHTHONE esse, ab iis summa cum iniuria clama-
ri deprehenderis. Nostris temporibus, cum et Philippista-
rum nomen et secta, et cum ea nimia ista atque immodica no-
minis Melanchthoniani veneratio desierit, et odii inimicorum
PHILIPPI immanitas resederit, ex vero de tanti viri virtutibus
iudicare licet, eumque sine offensione inimicorum laudare, et
sine amicorum et sectatorum indignatione, lapsus eius deplora-
re. Cum igitur memoria obitus et funeris eius saecularis, ea-
que altera, redeunte hoc vere celebranda sit, nostrum est,
Deo, rebus humanis sapientissime prouidenti, gratias persoluere,
pro excitato tanto ingenio, et coetu sacro vtilissimo,
quod nominis diuini gloriam, et ore, et innumeris fere scriptis,
mirifice illustravit, ingentem doctorum ecclesiae multitudi-
nem e disciplina sua dimisit, scientiae humanae tenebras ver-
bi diuini lumine dispulit, Iesum innumeros fere homines do-
cuit, religionis Christianae capita collegit, et in certum rede-
git ordinem, tot conciliis et colloquiis interfuit, libros fidei
sanctissimae symbolicos composuit, et summos principes et
eruditissimos viros habuit admiratores, et quod nihil, cui vi-
res ingenii humani pares sunt, intactum reliquit. Spargendi
itaque sunt merito in tanti tamque insignis viri tumulum, per
duo saecula diuina prouidentia tutum conseruatum, flores, et

ve-

venerandis cineribus Melanchthonianis parentandum.

§ II Notior vero est vita et gloria MELANCHTHONIS, quam quae, post tot aliorum eruditos labores, vltius repeti debent ac enarrari. Dedit nobis, quod in vulgus notum est, amicissimus PHILIPPO et familiarissimus, quem cum eo et eadem studia, et mores iidem arctissime coniunxerant, IOACHIMVS CAMERARIUS, de PHILIPPI MELANCHTHONIS ortu, totius vitae curriculo et morte, narrationem diligentem et accuratam, Lipsiae MDLXVI. MDXCII. et MDCXCVI. auctoritate FRIDR. BENED. CARPOVII. Reliqui vero historiae literariae Melanchthoniae fontes, e quibus narratio de rebus PHILIPPI haurienda est, hi fere sunt. MARTINI MYLII, scholae Gorlicensis Collegae, *Chronologia scriptorum PHILIPPI MELANCHTHONIS*. Gorlicii MDLXXXII. 8. Haud postremum ille inter admiratores PHILIPPI locum obtinet. Idem enim, vt ipse in praefatione ad hunc librum scribit, in animo habuit edere *praefationes* PHILIPPI, quas aliorum scriptis multis praefixerat, et, vt erudito cuidam viro videtur, ἀγορύμως edidit *testimonia et aliorum de MELANCHTHONE iudicia*, Gorlicii MDLXXX. 4. e quo praefationes PHILIPPI colligendi studio enatus est hic eius scriptorum catalogus. Sed candide profiteretur MYLIVS *integrum bunc non esse*, et *suis numeris absolutum catalogum omnium scriptorum, quae a PHILIPPO fuerunt confecta*; (et vere quidam libelli in eo desiderantur) *sexcenta esse*, de quorum annis dubitet, et de quibus amicorum commonefactio*n*es, studia, operas, vbi bunc catalogum viderint, expectet. Nec aliter fieri potuit; ipse enim cum vicesimo secundo anno post obitum PHILIPPI scriberet, nec ipsi de ordine et numero scriptorum PHILIPPI constaret, in designando cuius scriptorum Philippicorum an-



no fidem habuit auctoritati Bvcholzeri ¹⁾, qui, vt colligeret
praefationes PHILIPPI, MYLIO suasor et auctor fuerat, et cuius
pater circa initia PHILIPPVM docentem audierat. De eo enim
scribit: *Cum ipse etiam multorum bibliothecas ea de causa in-
spicere necesse haberem, et in multos libellos Philippicos felici-
ter incidrem, coepi simul paullatim titulos annorare, annota-
tos digerere, et sub annos postea suos referre. Quia in re rur-
sus praedicare debeo nauatam a BUCHOLZERO operam, indicante
mibi plerarumque declamationum, quae in primos tomos, sine
ordine et consignatione annorum, fuisse congestae, annos et
quasi natales earum. Caeterum cum variorum PHILIPPI li-
bellorum et orationum, vbi locus tulit, historiam breuiter
exponat, interdum aliorum, interdum ipsius PHILIPPI, inter-
dum et siuum de diuersis MELANCHTHONIS scriptis iudicium af-
ferat, non negligendus est ille libellus paruae molis, sed pro-
ximo a doctissimo labore CAMERARI loco habendus. Iungen-
da huic est in historia MELANCHTHONIS literata: *Brevis narratio
vitae PHILIPPI MELANCHTHONIS conscripta a Professoribus Acad-
emiae Wittebergensis. Witteb. MDLX. una cum libro, cui ti-
tulus est: Orationes, Epitaphia et scripta, quae edita sunt de
morte PHILIPPI MELANCHTHONIS omnia, cum narratione exponen-
te, quo fine vitam in terris suam clauserit, una cum praece-
denti proxime dierum, et totius morbi, quo confectus est,
breui descriptione, edita a Professoribus Academiae Wittebergen-
sis, qui omnibus, quae exponuntur, interfuerunt. Wittebergae
MDLXI. Est praeterea in primis hic laudanda Oratio habita
in funere Domini PHILIPPI MELANCHTHONIS, a VITO WINSHEMIO,
artis medicae doctore, die vicesima prima Aprilis, quae extat
in**

¹⁾ Est is GOTFRIDVS BUCHOLZERVS, qui tum erat reipublicae Gor-
licensi ab epistolis, et edidit parentis sui ABRAHAMI BUCHOLZERI
indicem Chronologicum, Gorlicii 1599. 8.

in tomo V. Declamationum PHILIPPI MELANCHTHONIS 263. pagina editionis Witteberg. MDCLXXII. et in libro Professorum Wittebergensum posteriore antea excitato. Addi merentur et aliae orationes eiusdem WINSHEMII, PEVCERI, MAIORIS, CRVCIGERI et aliorum, eodem V. Declamat. tomo comprehensae, quae plena sunt laudibus et historiis Philippicis. Iungendi vterius sunt Scriptorum publice propositorum a Gubernatoribus studiorum in Academia Wittenbergeni tomi I. II III. et maxime IV. qui complectitur annum MELANCHTHONI fatalem MDLX. et vna cum tomo V. Declamat. pleraque exhibet scripta, orationes, programmata, epitaphia, epigrammata in obitum MELANCHTHONIS conscripta, quae singularis ille liber a Professoribus Wittebergenibus MDLXI. editus, de quo antea dictum est, collecta in vnum omnia comprehendit. Non dubito denique ad scriptores de rebus MELANCHTHONIS referre *Locorum communium Collectanea a IOHANNONE MANLIO per multos annos, tum ex lectionibus D. PHILIPPI MELANCHTHONIS, tum ex aliorum doctissimorum virorum relationibus excerpta, cum praefatione D. SIMONIS SVLCERI Acad. Basl. Rectoris Francof.* 1566. 8. Quanquam enim multa, quae nullius sunt momenti, nec eius loci, a MANLIO sine ratione collecta in iis deprehenduntur, ut, ex parte speccata, *inepta corraso Dictorum MELANCHTHONIS* 2) Cel. BRVCKERO cum aliis non immerito audiant, quaedam tamen in iis obseruantur non contemnenda, et de MELANCHTHONE scitu haud indigna. GEORGII autem FABRICII 3) *Collectanea de religione et scriptis MELANCHTHONIS maximam partem intercidisse,*
non

2) *Historiae Criticae Philosophiae* tom IV. part. I. p 267. 3) Vid. Cel. BRVCKERVM l. c. p. 266. et Cel REIMARI Historiam vitae I. ALB. FABRICII p. 210. Quod de FABRICII opere, idem de sum-

¶

non satis dolere possumus. De magni illius VITI LUDOVICI
SECKENDORFII *Historia Lutheranismi*, non est quod addam; il-
le enim doctissime MELANCHTHONEM defendit, grauissime de
eo iudicauit, et memorabilia multa, vti constat inter omnes,
de eo literis consignauit, exiis igitur auctoritate vti, et scri-
ptori, et ipsi veritati decori est.

§. III. Habet igitur orbis eruditus et multos et graues au-
tores historiae Melanchthonianae, quibus fidem, rationibus
accurate consideratis, habere queat, nec opus esse viderur,
post tot tantorum virorum praelatos labores, nouam histo-
riam vitae magni illius viri condere. Verum cum multa de
eo scitu atque obseruatu longe dignissima sparsim apud plu-
res legantur; pluresque inuenti fuerint, qui partim mendacia
de PHILIPPO nostro, cui innumera fere et ornamenta et bene-
ficia debet coetus protestantium, turpiter effinxerunt, de eius-
que fama nimium detraxerunt, partim vero laudes et veneratio-
nem PHILIPPI, ultra conditionem humanam, extulerunt; cum de-
nique de variis controversiis, et viuo MELANCHTHONE, et post
obitum eius, magno et vehementissimo cum animorum ardore
agitatis, quaedam dicenda esse videntur: varia deligam argu-
menta historiae Melanchthonianae maximam partem literatae,
et tam de virtutibus et laude, quam de iis, in quibus humani
quid passus est bonus MELANCHTHON, paucis disferam. Primum
est, quod attentionem et studium, siue potius admirationem
nostram requirit, decus literarum in MELANCHTHONE tantum,
quoniam

summi Theologi V. E. LOESCHERI labore querendum est, qui
promisit Lexicon elegantioris literaturae, in eoque Melanchtho-
niana et Daumiana se additum. Conf. B. G. STRVII *Intro-
ductionem in notitiam rei literariae*, edit. I. C. COLERI 1729. p.

quantum in paucis mortalium. Maximam vero in eo laudem
 sibi vindicant artes, quae ad humanitatem pertinent, de qui-
 bus equidem pronunciare non audeo, atrulerintne illae PHIL-
 LIPPO MELANCHTHONI plus gloriae, lucis, et publicae laudis,
 an vero MELANCHTHON iphis literis, quae ab humanitate no-
 men habent, maiori et decori fuerit, et ornamento. Si
 enim cogito, quam tristem situm tum temporis duxerint
 magnificae illae artes, quam graue et arduum fuerit, eas,
 horrida temporum istorum barbarie, humana ciuitate pul-
 las, in eandem reuocare, atque efficere, vt tot, quot habe-
 bant ignorantes atque osores, nanciserentur amatores et cul-
 tores; si mecum perpendo, quot et quam ardua ac difficilli-
 ma impedimenta praefantissimo viro superanda fuerint, in
 proferendis illarum literarum finibus ac terminis, non satis
 mirari queo felicitatem summi huius ingenii in excitandis
 illis studiis. Destituebatur tum orbis eruditus, partim com-
 moda et facili linguae Graecae institutione, partim vero Grae-
 corum auctorum exemplaribus. MELANCHTHON igitur cum sum-
 mo huius literarum generis amore captus esset, et ingenti de-
 siderio eas quoque alios docendi flagraret, partim edidit *Gram-
 maticam Graecum*, iuuenis septendecim annorum, anno a na-
 to Christo MDXIII. de quo conatu ipse scripsit PHILIPPVS:
conscripsimus eam et pueri fere, et pueris, ⁱ⁾ partim vero
 exemplaria Graecorum scriptorum imprimi curauit; tanta
 enim erat eorum penuria, vt studiosi pensum in collegio ex-
 plicandum antea ex libro PHILIPPI describere debuerint, quo
 factum est, vt MELANCHTHON initio, per aliquod temporis
 spatium, tantum quatuor numerauerit auditores in collegio
 Graeco. Quid quod studiosa iuuentus iphis N. T. codicibus
 caruit, vt, MELANCHTHONIS cura, euangelia vel epistolae, in

B

quas

i) MYLVS Chronol. Scriptor. Melanchth. A . 4



quas p̄aelectiones instituere voluit, separatiū essēt edendae, quo auditoribus Graeci exemplaris copia esset. 2) Tanta erat Graecarum literarum penuria, quae indefesso PHILIPPI studio amplissimis auctae sunt diutiis. Secundum ab hoc literarum genere locum procul dubio Philosophia, et Rhetorica e Graecis fontibus hausta obtinet. His quasi duobus luminibus totum literatum orbem ipsasque literas mirifice illustrauit, ignorantiam et barbariem saeculi de gradu deiecit, omnibus scientiis nouam formam induit, quae antea in literis et inepta eas docendi methodo, aspera, horrida atque inculta erant, plana et facilia reddidit omnia; et cum non tricis, et spinosis inanibusque quaestionebus, multoque abstrusioribus scholasticorum responsionibus, sed simplici veritate, amabili illa perspicuitate, 3) et sermonis, idearum et propositionum facilitate delectaretur, mirum non est, artes omnes hac illa mirifica PHILIPPI arte excitatas, ab omnibus, quibus sana mens erat, certatim expetas, tantoque cum plausu exceptas esse. 4) Eo autem auctore Philosophiam Aristotelicam ad summum dignitatis fastigium elatam, totique Europae commendatam fuisse, copiose demonstrauit Cel. BRVCKERVS. 5) Immortale denique ornamentum literae cuperunt e methodo PHILIPPI docendi eximia. Methodus docendi quid esset, tum plane oblitum esse orbem literatum, videri poterat. Dederat quidem huius doctrinae sanas et p̄aeclaras regulas ERASMVS ROTERO-

DA-


- 2) Factum hoc esse adhuc anno, post coeptam sacrorum repurgationem, quarto 1521. constat ex MYLIO l. c. ad annum 1521. 3) Haec in MELANCHTHONE summa fuit, et natuum quoddam decus, quod omnia eius scripta ornat, excepto articulo de sacra coena, in quo PHILIPPVS, maxime post obitum FUTHERI, noluit esse perspicuus, et inuita, opinor, et reluctante natura sua, obscure scripsit et ambigue. 4) Vid. BRVCKERVS l. c. p. 270. 5) l. c. p. 240. sequ.

DAMVS in libro, quem inscripsit: *Ratio, seu methodus compendio perueniendi ad veram Theologiam, Basileae MDXX.* et in alio libello, cui titulus est: *Paraclesis, id est, abortatio ad saluberrimum Christianae Philosophiae studium, ut videlicet euangelicis ac apostolicis literis legendis se non sola, saltem prima cura tribuatur. Basileae MDXX.* Verum hae regulae partim tantum ad Theologiam accommodatae, partim vero patrum et scholasticorum methodo oppositae sunt, et Melanchthonianum ingenium requirebant, ut exercearentur. Huic igitur insigni, et ad summa quaevis nato ingenio soli relictā videbatur gloria, e disciplinis omnibus in certum et aptum ordinem redactis reportanda. Recte itaque hoc, in Epitaphio MELANCHTHONIS illi praecipuae laudi ducitur, *quod omnem doctrinam quasi vagam ac dissipatam collegerit, et ad certam rationem reuocauerit.* Quam sententiam MELANCHTHONI perhonorificam suo suffragio iuuit et confirmauit VITVS WINSHEMIUS, qui LVATHERVM hoc in eo maxime admiratum fuisse, scribit; 6) LVATHERVS, inquit, *hoc etiam in eo animaduertit, quod PHILIPPVS dissoluta in suum ordinem contrahere, confusa recte distribuere, incertis locum et quasi ius suum restituere, ambiguis proprietatem, obscuris definiendo et explicando lucem praebere posset, et breuiter, quod ipse singulare et rarum quoddam organum esset, per quod Deus aliquid mirandum esset effecturus.* Et paucis quibusdam interiectis, 7) VITVS de suo addit: *Denique, quantum in omnibus his disciplinis caliginis et tenebrarum fuit, antequam ipse his lucem praebeuit? Consumebatur tota vita in sola Dialectica Aristotelis discenda, neque ad eam vita quantumvis longa sufficiebat, de caeteris ut breuiratis causa iam raceam.* Haec autem laboriosissima et fidelissima apicula peruolauit per uniuersos doctrinarum campos, atque inde

B 2 sp. fol. 111 v. mino ext.

6) in Oratione Funebri Declamat. tom. V. p. 273. 7) p. 277.





*variis scriptorum fasciculis lectissimum et dulcissimum succum
nobis in fauos congesit, iuxta veteris poetae sententiam:*

*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant:
Omnia nos itidem depascimus aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima vita.*

Semper ego miror hanc diuinam ingenii Melanchthoniani dotem, quam ei concessit summi Numinis prouidentia eo tempore, quo coetus credentium ea carere non potuit. Confusa, distracta et misere dilacerata erant, ignorantia barbarorum saeculorum, Christianae religionis capita; reddenda erat ratio fidei sanctissimae Imperatori et Imperio, colligenda igitur erant et contrahenda, atque in commodum aptissimumque ordinem redigenda verae doctrinae capita, ut cuius legenti audientique statim quid credatur a nostris, quidue reiiciatur, appareret, cui rei arduae atque difficiili, quae summi erat momenti, perficiendae solum MELANCHTHONIS ingenium sufficiebat. Praeparauit mirabilis Dei sapientia animum PHILIPPI ad tantum opus suscipiendum consilio, de conscribendis *Loci communibus*, capto, ut his edendis quasi vires ingenii experiretur, quo aptior fieret, post nouem annorum spatium; editi enim sunt Loci communes MDXXI. ad opus longe maioris momenti perficiendum, *Augustanum* mirum *Confessionem* exhibendam. Requirebatur in hoc libello, in quo tam exiguae molis mirum est totum Theologiae Christianae complexum comprehendi, breuitas, ordo, perspicuitas, veritas; quae igitur LVTHERVUS in XVII. articulis Torgauiensibus comprehenderat, ea PHILIPPO mittebantur, a quo retexta et in formam redacta sunt breuitate mirabili; non enim nisi necessaria proponi poterant ac debebant, ex le-


lege Imperatoris, de qua ipse MELANCHTHON 8) scribit: *Neque enim Caesari vacat audire prolixas disputationes; ego tamen ea dixi, quae arbitrabar maxime vel prodefere, vel docere.* *Hoc consilio OMNES fere articulos fidei complexus sum, quia ECCIVS edidit διαβολικωτάτους διαβόλους, contra nos.* *Aduersus has volui remedium opponere.* Iure igitur meritoque et hoc ad miracula Augustanae Confessionis, quae SAVBERTVS exposuit, referendum est, tam exiguum libellum, tamque insigni breuitate commendabilem, omnes Christianae doctrinae articulos, breuitate, perspicuitate, ordine, et gruitate, quam vix imitari possumus, expositos, atque errores secus sentientium non impugnatos, sed refutatos comprehendere, ut vere de eo dici queat, neque quid desit in eo, neque quid redundet, inueniri posse, breuibus: est liber tum copia, tum breuitate mirabilis, qualem omnia retro saecula, omniaque concilia non viderunt. At hunc, post Deum, maximam partem debemus mirificae arti MELANCHTHONIS methodicae, quae omnes, si temporum illorum rationem spectes, in admirationem sui rapit. Nec passus est doctissimus vir hanc artem apud se latere, sed omni, quo fieri poterat, studio elaborauit, ut alii eandem disserent. Commendauit enim, et dilucide exposuit eam variis iisque elegantissimis orationibus, *de studiis Theologicis, de dignitate studiorum Theologicorum, de corrigendis studiis literarum, de ordine et methodo discendi, de studio linguarum, de concordia et communicatione studiorum atque operarum, de miseriis paedagogorum,* (quae, nescio quo infelici fato, in indice exhibetur, sub hoc titulo: *Oratio de miseriis podagricorum 9) de studiis linguae Graecae, et duae orationes de studio linguae Ebrae.* 10) Non

B 3

mi-

8) Vide IAC. GODFRIEDI solidam ac veram Conf. Aug. histor. p. 136.

9) Hae omnes extant Declamat. tom. I. 10) quae extant tom. IV.



minor est laus, quam attulit PHILIPPO nostro diuina illa prudentialia et felicitatis humanae magistra, Historia, lux illa mundi, quam spissis tenebris inuolutam offendit, eamque miranda arte et studio correxit. Tanta vero fuit illustris huius viri cognitio Historiae, ut opera historica ab aliis elaborata, cum vitiis innumeris scaterent, statim emendaret, emendata vero, et paene transformata prelo commisericit, praenotatis auctorum, quos antea habuerunt, nominibus, quod de NAVCLERI II) historia constat, et CARIONIS Chronicō. Partis uero historiae literatae, biographicae nimirum, restaurator fuit; id enim quatuor priores tomī Declamationum MELANCHTHONIS loquuntur. Si denique eruditionem PHILIPPI cum aliorum clarissimorum virorum doctrina contenderis; qua in re superauerit alios, in qua vero ab aliis superatus sit, facile intelliges. Superauit vero LVTHERVM Theologia vulgo sic dicta patristica, quam LVTHERVS non magni facere solebat, et literis humanioribus, quibus tamen ipse ab ERASMO ROTERODAMO superatus est. In reliquis omnibus longe maior fuit LVTHERVS, ipso teste ac iudice PHILIPPO, qui non dubitauit, LVTHERVM esse omnia in omnibus, pronunciare.

12) Quantum autem literis humanioribus IOHANNEM CAPRONEM superauit, tantum linguae Ebraeae scientia noster superatus est ab illo. MATTHIAS denique FLACIVS historiae ecclesiasticae cognitione, et hermeneutica sacra, multis parasangis PHILIPPVM antecedebat. Reliquorum omnium, qui tum vivebant, neminem PHILIPPO parem, multo minus vlla in re maiorem fuisse iudico.

§. IV. Quibus consideratis, mirum quidem videri non potest,

II) WINSHEMIVS in Oratione Funebr. I. c. p. 270 adde CASP. PEVCE-
RI præfationem in lectionem Chronicorum I. c. p. 319. 320. 12)

MATHESES in Conc. XVI. p. 203.

test, MELANCHTHONEM accepisse splendidum illud *praeceptoris Germaniae* nomen; veruntamen definiendum esse videtur, quibus in primis rebus et disciplinis expositis ita dici meruerit. Primum est, quod effecit, ut *praeceptor Germaniae* facultaretur, perspicua illa ac facilis docendi methodus, cuius admiratione omnes et docentes et discentes ea aetate trahebantur, cum nihil tale antea neque audiuerissent, neque vidissent. Omnes igitur disciplinae ad regulas et modum PHILIPPI MELANCHTHONIS et tradebantur, et discebantur, nec cedro dignum esse credebatur, quod ab eo abhorrebat. Quia methodo iucunda et facili illectos esse et delectatos innumeros viros, qui ad audiendum tantum virum confluebant, mirum videri nemini potest. At hi omnes viri, e schola LUTHERI et MELANCHTHONIS egressi, summis in ecclesia et schola, vel ob id ipsum, quod auditores illorum doctorum essent, muneribus admoti sunt, et doctrinam ab utroque acceptam discipulis suis proposuerunt. 1) Repetenda praeterea huius nominis celebritas et origo videtur ex libellis, Enchiridiis, sive Compendiis PHILIPPI, quae de omnibus fere discipli-

- 1) MATHESIUS in Conc. XVI. p. 203. b. Darnach siengen an zu lesen, desmals M. CASPAR CREVZIGER, M. VEIT WINSHEIM, die Eltern, ERASMVS REINHOLD, M. BVRCARDVS Wimariensis, M. AMMERBACH, M. IACOBVS MILICH, welche alle dem Herrn PHILIPPO nachgezogen, und unter ihm studirt hatten. Er GEORG MAIOR von Nurnberg, Herr VICTORIN STRIGEL, DAVID CHYTREVS, PAVLVS EEBERV von Kitzing, hab ich kennt als gehorsame und dankbare Discipel des alten Elie und Eliset, wie denn, Gott Lob, die besten Kirchen und Schulen im Reich mit Wittenbergischen Scholaren und Magistern bestellt seyn -- die ob der Lehre treulich halten, wie sie dieselb vom Herrn Doctor und Herrn MELANCHTHONE gehoert und gelernt haben. Adde BRUCKERVM l. c.
p. 241.



plinis ac necessariis scientiis edidit, in quibus res accurata, facillima, et plana methodo exposuit, et quae ideo incredibili omnium cum plausu excepta, et ad lectiones in Academias et scholis publicas adhibita sunt. Ea potissimum sunt Compendia Dialectices, Rhetorices, Ethices, Physices, Grammatices, 2) nec non Loci Theologici, et Examen ordinandorum, omnium, qui literis tum operam dabant, manibus versata ac trita. Quae enim in aliis id genus libellis tam obscure proposita erant, ut, praeter verba, a legente intelligetur nihil, in MELANCHTHONIS libris plane et perspicue tradita exhibebantur, et his libellis lumen quasi in alias libros de iisdem rebus conscriptos inferebatur. Auctor est MATHE-
SIVS, I. c. candide professum esse virum eruditum Academiae Viennensis, omnes Professores illius Academiae ignorasse, quid sit medius terminus in syllogismo, donec id ex Dialectica MELANCHTHONIS didicissent. Nec a vero me aberrare existimo, si contendam, MELANCHTHONEM eam quoque ob causam Germaniae praeceptorem dictum esse, quod omnes disciplinas et artes ad utilitatem generis humani et reipublicae traduxit, easque scientias omnes non scholae, sed vitae descendas, et ad vitae communem usum adhibendas esse vidit,
et

2) WINSHEMVS in Orat. Funebri l. c. p. 277. *Nisi virramque confessionem PHILIPPI et Locos communes haberent, quoanam corpus integrum, aut quam summam huius doctrinae essent habituri? Non iam dicam de illius utilissimis scriptis, in aliis disciplinis. Quod compendium Dialectices, quod Rhetorices, quod doctrinae moralis, quod denique Physices, aut doctrinae de anima commodius, luculentius, aut exactius habemus, quam ea, quae ipse nobis reliquit?* MATHE-
SIVS in Conc. XVII. p. 69. *Wie desmals eben des zehnern und grossen Grammatici Grammaticken, fast alle Schulen in Deutschland die Kinder decliniren und coniugiren lehrte.*

er vere adhibuit. Denique ex reuerentia auditorum PHILIPPI, qua ducti non solum res ab eo propositas, sed etiam verba ab eo usurpata mutare religioni sibi ducebant, repetenda videtur origo huius nominis. Eorum enim scholas sola vox MELANCHTHONIS personabat, quod exemplum VALENTINI FRIDLANDI TROCEDORFFI instauratoris et Rectoris scholae Goldpergenfis satis superque confirmat, *qui tanta cura, ac tam religiose vestigia PHILIPPI consecabantur, ut non sententias tantum ab illo traditas, sed et verba retinere studebat, atque usurpare in docendo, ad extremam senectam usque.* Imo piaculum se commissurum putabat, si a praescripta norma, vel latum vnguem discederet. 3) Hic igitur vere, ut multi alii cum eo, iurauit in verba magistri. Postremo impensus amor Academiae Wittebergensis in MELANCHTHONEM hoc nomen ei confirmauit. Omnes enim eius Academiae Professores, qui cum eo, et multis lustris post eum vixerunt, publica Academiae voce eum nomine *Domini praeceptoris* salutarunt, quod viuo adhuc LUTHERO factum est 4).

§. V. De aestimatoribus vero ingenii atque eruditionis Melanchthonianae ideo dicendum esse videtur, quod multi nimio amore ac studio MELANCHTHONIS ducti, multi vero im-

C

ma-

- 3) Oratio BALTHASARI RHAVV de vita et gubernatione scholastica TROCEDORFFI, Declamat. PHILIPPI MELANCHTH. tom. V. p. 824. Idem de schola Gorlicensi MYLIVS in praefatione Chronol. script. MELANCHTH. ad IAC. MONAVVM perhibet: *Me ac scholam nostram, quae a multis hoc tempore Philippica solet vocari, amare pergitto.* Scis TROCEDORFFIVM bac una re praeceteris scholam Goldpergensem celebrem fecisse, quod unice operam dedit, ut in ea voces sonarent Melanchthonianae -- Arripimus igitur omen amicorum, et optamus, ut nunc etiam schola nostra sit Philippica.
- 4) Scriptorum publ. Witteb. tom. I. p. 16. ad annum 1540.



mani odio eius agitati, de eo iudicia tulerunt 1). Multi tam sunt, qui grauiter, docte et moderate de eo iudicarunt. Cum PHILIPPVS Tubinga Wittebergam iuuenis adhuc MDXVIII. discederet, GEORGIVS SIMLERVS, quo praceptor quondam fidelissimo usus erat, *deplorandum esse roti ciuitatis eius abitum*, dixit, et subiecit: *Quotquot thi essent docti homines, non esse tam doctos, ut intelligerent, quanta esset doctrina eius, qui inde evocatus discederet* 2). Non aliter certe neque praeclarius de HOMERO quondam iudicauit FABIVS, 3) *magni esse viri, virtutes eius, non aemulatione, quod fieri non possit, sed intellectu sequi.* Duplex ERASMI Roterodami de nostro iudicium extat, alterum a IACOBO MILICHO, alterum vero ab ABRAHAMO BVCHOLZERO prolatum. Ille cum censuras referret, quas ERASMVS in efflorescentia sub id tempus ingenia Germaniae suo more, et pro ea, qua valuit auctoritate, liberius agere consueuerat, aiebat, illum de PHILIPPO adolescenti affirmasse: *Quod, in quamcunque artem neruos ingenii intensurus esset, in ea omnes summos artifices esset superaturus:* 4) Hic vero in indice chronologico scribit: ERASMVS ei, praeter insignem eruditionem et raram eloquentiam, tribuit gratiam quandam fatalem, quam ~~ingenio~~^{pro auctoritate}, ut cum esset omnibus candidis gratissimus, ne apud hostes quidem haberet quemquam, cui esset admodum exsus 5). Eadem fere sententia est IOHANNIS STVRMII, de fatali PHILIPPI gratia, quam his exposuit verbis: *Caesarem CAROLVM maxime alienauerat Coloniensis reformatio, cuius inuidiam PHILIPPVS MELANCHTHON declinare potuit, BV-*

CE-

- 1) CAMERARIUS aduersus calumniam manifestam, illius in primis, qui MELANCHTHONEM veteratorem dixerat, eum docte et grauiter defendit in Vita MELANCHTH. p. 391. 2) MYLIVS l. c. p. 6.
3) Institut. Orator. lib. X. c. i. 4) EVSEBI MENU orat de vita IACOBI MILICHI Declamat. tom. V. p. 586. 5) p. 656.

CERVIS non potuit: usque adeo fortuna hominum multa secum ad gratiam et ad odium adfert 6). Quam egregie magnus ille et felicissimus ingeniorum aestimator LVTHERVIS de PHILIPPO senserit, cum aliunde satis superque constet, non prolixe exponam; sufficiat hoc unum obseruasse, MELANCHTHONEM a LVTHERO tam impense amatum esse, ut de eo, cum morbo grauissimo Vinariae oppressus esset, cum gemitu et lacrymis exclamaret: heu quam preciosum et ecclesiae utile organum diuinum, quam misere nobis est affectum, et paene interiit; ut PHILIPPVS ardente LVTHERI preicatione quasi e media morte reuocatus crederetur 7). Nec LVTHERVIS ipse infitiabatur, se tum MELANCHTHONEM e mortuis in vitam reuocasse, cuius rei testis grauissimus HIERONYMVS WELLERVS est: LVTHERVIS precibus suis multa mala imminentia auertit, et D. FRIDERICO MYCONIO φθίτει consumto preicatione suam vitam prorogavit, praeter omnem spem et opinionem. Memoria teneo, illum aliquando dicere, se nunquam induxisse animum a Deo petere donum excitandi mortuos, et similia faciendi miracula, nec dubitare se, quin hoc a Deo posuisset impetrare, sed noluisse, contentum se esse dono prophetiae, quo ornatus esset a Domino multo cumulatius, quam ausus fuisset optare, nedum ab ipso petere; et addere, se duos mortuos excitauisse, quorum alter fuit D. PHILIPPVS MELANCHTHON, altera pia quaedam matrona. Haec cum ex ipsis ore audierim, non veritus sum buc aspergere 8). Quid? quod LVTHERVIS MELANCHTHONEM se maiorem esse profiteri non erubuit; cum enim hic in colloquio Ratisponensi Eccio axioma illud ve-

C 2

rif-

6) in epistola ad FRANCISCVM WALSINGHAMVM, praefixa MARTINI BUCERI scriptis Anglicanis editis Basileae MDLXXVII. 7) Declamat. tom. V. p. 284. 8) in libello D. HIERONYMI WELLERI, ante nunquam edito, collecto a MICHAELO HEMPELIO, 1581. p. 49.

rissimum obiecisset: Nihil habet rationem sacramenti extra
vsum a Christo institutum, LVTHERVS exclamauit: *Macte vir-
tute et pietate, mi PHILIPPE, tibi debetur gratia, qui pontifi-
ciis potuisti sacramentum admirare, quod ego nunquam tenta-
re, vel aggredi fui ausus* 9). VICTORINVS STRIGELIVS ita de
eo iudicat: PHILIPPO MELANCHTHONI haec tria conciliarunt
non modo Germaniam, sed orbem uniuersum: *Integritas vi-
tae, sanctitas praeceptionum, et eloquentia* 10). Lepidum est,
quod TAVEMANNVS de eo tulit iudicium: *Heu quam multorum
lolio sterileceret aruum, ni vitalia solerte MELANCHTHONIS illud
arassent* 11). MATHESIVS eum appellat Elisaeum magni Pro-
phetae Eliae, LVTHERI socium, et oleam secundam ex Sa-
char. IV, 14. 12). Venio ad exteris, qui de MELANCHTHONE
dextre iudicarunt, e quibus IVLIT CAESARIS SCALIGERI de no-
stro iudicium doctissimus quisque magni fecerit. Ita vero il-
le: *Illi ingenium magnum, atque ad omnia comparatum in-
telligimus ex iis poematis, quibus solis lunaeque defectus cecinit.
Nam et eadem varie describit tempora, luculentis versibus, et
eodem nitore praesagia statuit* 12). THVANO et GROTIO, ob-
pacis amore, et quietis studium, magni aestimatur 14).
BOISSARDO audit Phoenix Germaniae, et alter Elisaeus, mo-
destiae exemplo non modo caeteris, verum etiam se ipso su-
perior, saeculi sui singulare ornamentum, et Germaniae de-
cus perpetuum; qui et iconi PHILIPPI versus subiecit:

*Corpore parvus erat, sed maximus arte PHILIPPVS,
quam bene Germanis sic Philomela fuit!* 15)

Quae

9) MYLIVS I. c. p. 57. 58. 10) in praefatione in Chronicon PHILIPPI. II) Sched. sacror. lib. II. p. 146. 12) in Cone XVI. p. 203. 13) libro V. I. Poetics cap. II. p. 798. 14) vide TOBIAS MAGIRI Eponymologicum criticum p. 581. 582. 15) in Iconibus virorum illustrium part. III. p. 45.

Quae fere eadem laus MELANCHTHONIS celebratur in disticho,
quod legitur sub imagine huius in Iconibus NICOLAI REVSNERI:

*Parvus eram: nec me tamen ingens cepit hic orbis;
fama mei complet nominis omne latus.* 16)

THEODORI vero BEZAE eloquium de nostro conscriptum dignum est, quod ab omnibus PHILIPPI admiratoribus magni aestimetur; est vero his verbis conceptum: *Quis te vero, PHILIPPE MELANCHTHON, MARTINO LUTHERO diuinitus succenturiatum, pro dignitate celebrauerit, singulare nostri saeculi ornamentum: ut pote summa et eruditionis in omni disciplinarum genere, et tum in dicendo ac scribendo perspicuitatis, tum in docendo candoris laudem, omnium eruditiorum consensu, consecutum? Pietate, vitae innocentia, ac in primis incomparabilis modestiae exemplo, non modo caeteris, verum etiam te ipso superiorem? Quem denique odit nemo, nisi omnium odio dignissimus.* Scilicet hoc tuis laudibus unum deerat, ut ingrati discipuli nonnulli, qui te viuum paene adorarunt, mortuum incesserent: admirabili certe Dei prouidentia, ne quos ipsi sebi commenti sunt deterrimos errores, ex te, communi, quamduo vixisti, omnium fere gentium doctore, didicisse viderentur. At nos contra, vel ipsa crepante inuidia, venerandam memoriam tuam sic iuuerit celebrasse:

Et tu igitur tandem tumuli sub mole reposus,

Die o PHILIPPE, nunc iaces,


Et quam inuidisti viuis tibi tute quietem,

cunctis quietem dum paras,

Ipsa tibi cura et sancti peperere labores,

Carum o bonis cunctis caput.

16) p. 110. C 3 At



At tu funde rosas, funde isti lilia tellus,
 Ut lilia inter et rosas,
 Quo nihil candidius fuit, et nil suauius unquam,
 Recubet MELANCHTHON molliter.
 Et grauis huic ut sis caueas, iuuenisue senexue,
 Qui nemini vixit grauis.

Cauta vero legendum esse hoc elogium monui, ob memoratum in eo odium discipulorum, et mentionem errorum, ut dicit, ab iis sparsorum. Fuit enim hoc exteris, inprimis iis, qui a CALVINI partibus steterunt, solemne, doctores $\gamma\eta\tau\omega\varsigma$ Lutheranos, qui sententias PHILIPPI suspectas et in primis mutationem, ab eo in doctrina de sacra coena in gratiam Caluinianorum susceptam, calculo suo probare nec volebant nec poterant, ingrati in praceptorum animi postulare. Idem enim fecit THYANVS, qui de eo scribit: *humanitatem exterorum et diuersa sentientium, suorum vero, eandem doctrinam profitentium, acerbitatem expertus et reprobationem, ob rixarum et contentionum fugam* 17). Et haec ipsa fuit quærela MELANCHTHONIS, quam saepe repetere solitus est, ex fabula de aquila, quae cum sagitta confixa esset, dicebat: *agnoscimus pennas nostras in vulneribus nostris* 18). Inde quoque duo de MELANCHTHONE enata sunt proverbia, alterum: *Musa MELANCHTHONIS genuit discipulos, et filii deuorarunt matrem* 19), alterum vero: *PHILIPPVS MELANCHTHON donec vivit, fuit in purgatorio; post mortem dicitur esse in inferno; in vita autem venturi saeculi erit cum Deo in aeterna beatitudine* 20). Summo denique honori maxima que laudi du-

cen-

17) lib. XXVI. 18) BUCHOLZERVS l. c. p. 657. Declamat. tom. V.

p. 311. CAMERARIUS l. c. p. 385. sequi 19.) BUCHOLZERVS l. c.

p. 657. 20) MAGIRVS l. c. p. 582. BUCHOLZERVS l. c. p. 652.

cendum est PHILIPPO sententia Imperatoris FERDINANDI, quam audita eius morte protulit: *Huius viri consilia semper fuerunt moderata* 21). Ultra sortem vero humanae conditionis, eruditio nem et nomen MELANCHTHONIS haud pauci extulerunt; ego duo saltem afferam immoderata de eo encomia. Nequaquam certe omni ex parte probari potest iudicium HIERONYMI WELLERI de eo prolatum: *De D. PHILIPPO MELANCHTHONE superuacaneum esse duco quidquam hic annorare, cum sua eruditissima scripta satis eum celebrent. Evidenter ita de hoc viro iudico, nullum unquam fuisse, exceptis sanctis Patriarchis, doctorem hominem D. PHILIPPO, nec posthac unquam futurum. Solus enim καλοπαιδεὺς absolutus* 22). Cui iungo egigramma quoddam honoris MELANCHTHONIS et CAMERARII datum, quod in alios eruditos omnes iniurium videri poterat:

Lumina bina Deus dederat Saxonidos orae,

MELANCHTHONEM et CAMERARIUM,

*Lumina quae postquam clauerunt, lumine cassa
nunc prorsus est Saxonia.*

*Et coecus coeco dux est, et tuerque labante
vestigio in fossam ruunt.*


Quis haec aequa mente ferre posset? Quis haec a moderato, veritatis studiose, et a partium studio alieno profecta esse crederet animo?

§. VI. Quemadmodum de MELANCHTHONE multa eaque diversissima extant iudicia: ita de libris eiusdem a diuersis diuerso iudicatum, et aliquando decretum factum esse dicitur, aucto-

21) idem l. c. p. 656. 22) in libello antea excitato p. 52.

auctoritatem scriptis PHILIPPI eam, quam habuissent, adimendam esse. Plurimi tamen eruditorum in libros PHILIPPI summis laudibus ornandos consensisse videntur. Exemplo certe suo reliquos eruditos inuitasse videtur LUTHERVS, vt de libris MELANCHTHONIS optima sentirent. Ille enim in primis *Locos communes* PHILIPPI omnibus sententiariis, et scholasticis scriptis anteferendos esse; 1) et plus solidae doctrinae unico libro isto comprehendi, quam in ullo libro, inde usque ab Apostolorum tempore scripto, continetur, 2) eosque canone dignos esse, iudicauit. Poterant haec ferri, et si postrema pars iudicij paulo durior videtur, sed MELANCHTHONEM ipsum scripta sua magnis laudibus extollentem, aliquid humani passum esse, fateamur necesse est. Ipse vero in epistola ad REIFENSTEINIVM de dialecticis ac rhetorics suis libris, eximie sentit: *Spero, si qua est futura posteritas, hos dialecticos ac rhetoricos libellos in manibus hominum futuros esse.* Nam ego non desinam eos expolire, qui qualescumque sunt, aequant omnium in hoc genere scripta aliorum, quod simplici animo dico, et apud amicum. Nam aliqui nolim de laudibus aliorum detrahere quicquam 3). De physicis vero in epistola ad BORDINGVM: *Scribimus iam Φυσικήν, quae non solum illas usitatas scholarum praeceptiunculas contineat, sed sit referta eruditissimis disputationibus summis cum ex GALENO, tum ex uliis literis, quae ad multas vitae partes profundunt, et bene institutis ingenii parvunt voluptates suauissimas* 4). Quantum ipse libris suis tribuerit, vel inde apparet, quod ille cum suis FLACIO vehementer iratus est, quod AVSVS sit dialecticam scriberet. Ita enim legitur apud RATZENBERGERVM in historia arcana: *Wenn man zu derselben Zeit eine gründliche Ursache für die innige Meinung obnugeln will, so kann sie leicht* 5) Declamat. tom. V. p. 277. 2) CHEMNITIVS ad *Locos communes* rom. I. p. 29. 3) MYLIVS li. c. p. 23. 4) idem. I. c. p. 41.

che ^{wissen} wollte: *Quidnam Illyricus peccasset?* Kuntent sie allesamt
 dazumal keine andere Antwort geben: est ingratus erga p^{re}
 ceptorem, et turbat tranquillitatem Academiae, et ecclesiarum
 nostrarum; item: er hat eine neue Dialecticam schreiben wol-
 len, als wäre des Domini Praeceptoris Dialectica den Studio-
 sis nicht gut genung. Exteros quoque libris PHILIPPI opti-
 me cupuisse, iisque interdum nimias laudes tribuisse, auctor
 est MATHESIVS: *Im Welschland bat man neulich des Herrn PHI-
 LISSI Dialectica gedruckt, wicvnl man sein Exempel soll gar
 aussen gelassen haben, für welche gute Exempel ein iunger Münch
 zu Venedig unserm Gott, und einem deutschen Medico von Her-
 zen mit diesen Worten gedanckt: Wens obn dis Buch were,
 so wist ich armer nicht, wie ich sollte selig werden; Ach mein
 Gott, bescher mir der Bücher mehr, Wie denn eben an dem
 Ort unsers Doctors Vatter unser in welsche Sprach gebracht.
 Als solches der Ordinarius one Namen gesehen; Gesegner sprach
 er, ist, der dis Vatter unser ausgelegt, und dr es drucken
 und lesen wird 5). Quanto omnium cum plausu Loci com-
 munes PHILIPPI, in Italicum sermonem vna cum nomine ME-
 LANCHTHONIS translati, excepti fuerint, cum satis superque no-
 rum sit, non exponam. Hoc tamen silentio praeferendum
 non esse duxi, ALPHONSVM Hispanum, qui integrum librum
 opposuit his Locis, et inuestigas illas inscriptis Philippicas,
 dixisse, PHILIPPVM idem esse LVTHERO, quod TORQVATVS apud
 CICERONEM EPICVRO. *Quia eius dogmata propriis et accommo-
 datis verbis illustrat, nec methodica explicacione faciat ita per-
 spicua ac firma, ut plus noceat regno pontificio, quam reliqua
 omnia Lutheranorum scripta 6).* Quam praecclare vero de
 Ethicis Galli iudicauerint, IOHANNES FERINARIUS docet: *Au-
 dio ex nostris hominibus, qui in Gallia didicerunt doctrinam*
 5) l. c. in Conc. VII; p. 69. 6) CHEMNITIUS l. c. p. 29.*



Iuris consultorum, FRANCISCVM DVARENVM, *Iuris consultum* clarissimum, saepe solitum dicere, nullum hactenus scriptorem extirisse, qui tam feliciter legum fontes commonstrauerit, quam hic noster sanctissimus senex in eo libello, quem elementa doctrinae ethicae inscripsit, bortatumque fuisse adolescentes, ut nunquam eum de manibus deponerent. Et affirmant viri fide digni, in eadem esse sententia MICHAELM HOSPITALEM, regni Gallici cancellarium, virum omni genere virtutis et eruditio-
nis ornatissimum, verunque, ut ait doctissimus ille TURNEVS, Galliae pacatorem 7). Paulo immoderatus de eius scriptis iudicat CHRISTOPHORVS PEZELIVS in versibus libro suo, quem inscripsit: *Argumenta et obiectiones de praecipuis articulis doctrinae Christianae cum responsonibus, quae passim extant in scriptis MELANCHTHONIS, praefixis:*

*Quisquis amat Chriſtum, non oderit ille PHILIPPVM:
Hunc quoque quisquis amat, librum non oderit ifsum.*

Ex altera vero parte iniquior librorum PHILIPPI censor est PETRVS BAYLIVS, qui e verbis MELCHIORIS ADAMI, MELANCHTHONEM ab amicis in Italia interrogatum, cur tales nugas publicari sineret? respondisse, se commodum inuentus in scholis quaerere, et quamvis ipse multa in suis desideret, ac deesse agnoscat, ex ingenii sui tarditate, iniuris fortunae et aularum quoque debilitati, atque ocii penuria: tamen minus poenitere laborum, si superiorum annorum cogiter inscitiam 8); colligit, illum opinione felicitatis ingenii intumescentem sibi persuasisse, fore, ut libri sui placeant, et si non plenijs elaborati et splendide exornati essent 9). Verum haec BAYLI sententia apte refutatur verbis PEVCERI in epistola partis secun-

dae

7) Declamat. tom. VI. 8) in Vitis Theologorum f.361. 9) Dictionar. Histor. Crit. art. MELANCHTHON.

dae operum MELANCHTHONIS: *Recudimus scripta PHILIPPI MELANCHTHONIS, non autem recudimus vniuersa. Nam et quae ante tricesimum annum scripsit, ipse suppressi a:que abolerti voluit, quod iuuenia essent et inelaborata, et in iis, quae post annum tricesimum ex interuallo saepe repetiuit, delectum adhiberi voluit, non quod aliqua inesset posterioribus dissimilitudo rerum, cum ubique recitet eandem doctrinam verbis paene iisdem, sed quod alia aliis maturiora esse iudicaret.* BAYLIUS igitur partim illud, quod modestiae PHILIPPI laudi ducere debuerat, ei vitio vertit, partim autem rem illam, ut ex PEVERI verbis constat, ex vero non diiudicat. Omnia vero seuerissime de libris MELANCHTHONIS iudicarunt FLACIVS et RATZENBERGERVS, quorum ille MELANCHTHONIS *Repetitionem Augstanæ Confessionis* appellat INTERIM SAMARITANVM, hic vero ALCORANVM IO).

§. VII. De moribus PHILIPPI sanctissimis eiusque virtutibus splendidissimis non nihil dicendum est. Habuerunt iliae laudatores suos, habuerunt et censores grauissimos. Mansuetudo et lenitas illa MELANCHTHONIS a multis reprehensa, a pluribus laudata, documentum est mirabilis diuinæ prouidentiae, quae LVTHERO, medico morborum ecclesiae paulo immixtiori viro, leniorem addidit παρεστήν ac mitiorem PHILIPPVM (1). De quo mirabili temperamento sapientiae diuinæ, dignissimum est, quod obseruetur IOHANNIS MAIORIS epigramma:

*Divisae his operaे, sed mens fuit unica, pauit
Ore LVTHERVIS oves, flore MELANCHTHON apes;*

D 2

et

IO) apud HORTLEDERVM tom. I. lib. I. cap. 13. num. 35. p. 55. (1)
WINHEMVS Declamat. tom. V. p. 273. Singularem dissertationem
edidit Ioh. FR. MAYERVS de lenitate PHILIPPI MELANCHTHONIS.



et iudicium SECKENDORFFII, dignum quod aureis consignetur literis: *Interim acceptari debet character ingenii Melanchthoniani, quem ita efformauit, ut integrum ei eloquentiae, vis persuasivae, moderationis singularis, insinuationis commodissimae in animos auditorum, humilitatis, mansuetudinis, modestiae laudem tribueret.* Sic nempe excusatio afferatur illis, qui cum ERASMO de LVTHERI impetu querebantur, existimantes, lenitate plus profici in reformatione potuisse. Hac enim PHILIPPVS *vsus est*, plus forte satis; et maior ei, cum regibus et principibus, quam LVTHERO conuersatio fuit, nec multo pauciora, quam LVTHERVIS scripta. Si quem igitur LVTHERI impetus a veritate absterruisse, illum PHILIPPI humanitas alliceret poterat 2). Haec igitur virtus, quae in eo summa fuit, ei saepe virtio data est, altera saepe in dubitationem adducta. Est illa constantia, quam in PHILIPPO fuisse minimam, vulgo creditur. Sed qui verum et iustum virtutibus PHILIPPI pretium statuunt, eiusque consuetudine et amicitia vni sunt, vnamini consensu tradunt, eum, et si non tumultuatus sit ac vociferatus, in defendenda tamen gloria diuinae maiestatis, et tuenda religionis Christianae veritate fuisse constantissimum. Cum enim in comitiis Augustanis CAMPEGIVS purpurratus pater vociferationibus ac minis institisset, ut cederet PHILIPPVS, clave non errante, ille Deo, inquit, et causam, et nos committimus; si Deus pro nobis, quis contra nos? Denique quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est; habemus iam in nostris regionibus tot miserorum parochorum et ministrorum ecclesiarum coniuges et liberos, qui vel quadraginta millium numerum superant, tot animas deserere non possumus; faciemus igitur, quod poterimus, a filio Dei, cuius haec causa est, auxilium petemus, nostro in loco et statione quoscunque labores

et

2) *Commentar. de Lutheranismo lib. I. seft. 46. §. CXIII. (c.) f. 186.*

et difficultates perferemus, etiam pugnabimus, si necesse erit, et moriemur, si ira Deus voluerit, potius quam ut tot animae a nobis prodantur 3). Ita qui loquitur, et, frementibus licet et crucem minitantibus potentissimis hostibus, ad omne crudelitatis genus exercendum paratis, veritatem testatur, ille sane inconstantiae maculam haud contraxit. Ut vero magnae huius ac praestantissimae virtutis in MELANCHTHONE nostro testem habeamus omni laude maiorem, LVATHERVM, maiorem enim nescio, excitabo, et quae ille de constantia PHILIPPI iudicauit, et nos iudicare decet. Eius igitur grauissimam sententiam verbis HIERONYMI WELLERI proponam: D. PHILIPPVS dixit, se paratum esse, morte sua concordiam ecclesiarum redimere: quae vox testatur, ipsum ingenti robore animi praeditum fuisse. In iuste igitur sui aduersarii molliciem animi ei obiecerunt. Multo melius D. LVATHERVS D. PHILIPPVM pernorat, quam sui aduersarii. Is inter caetera praeconia hanc laudem ipsi tribuit, quod vilis sibi vita fuerit et in publicis, et in priuatis periculis. Quod quidem LVATHERI testimonium magis nos moueat, quam omnes aduersariorum cauillationes 4). Modestiam quidem modestissimi PHILIPPI in dubitationem adducit RATZENBERGERVS, dum perhibet, eum LVATHERVM superiorem ferre non potuisse, nec aequo animo tulisse contradictiones aliorum de placitis suis, quibus statim assensum praebere, et coecum obsequium praestare debuerint 5). Sed quum ab aliis huic obiectioni satisfactum, eique laus modestiae asserta sit, hoc argumentum dimittam. Reliquas virtutes omnes MELANCHTHONEM eximie ornasse, magna eruditorum omnium ei tam amicorum, quam inimicorum confessione confirmatum est.

§. VIII.

3) WINSHEMIUS l. c. p. 280. 4) in libello WELLERI excitato p. 69.

5) in Historia arcana apud ARNOLDVM in der Kirchen- und Ketz-
er-Historie parte IV. f. 84. 85.

§. VIII. Venio ad criminationes et opprobria bono PHILIPPO nostro facta, quorum multa tam inepta sunt atque absurdia, ut tam facile reiiciantur, quam afferuntur, ad quae in primis refero ineptam illam criminationem PHILIPPO saepius a WICELIO et COCHLEO obiectam, eum cum suis Turcis prodidisse insulam Rhodum, et Turicum omnino bellum excitasse 1). Quae ei in controv ersia Flaciana, opprobrio dantur, ita sunt comparata, ut infitiandum non sit, optandum esse, ut bonus ille PHILIPPVS parvum modestiae, partim vero pacis et concordiae paulo studiosior fuisset, in primis cum FLACIUS bonam veritatis causam tum quidem tueretur, et ut PHILIPPO, cuius discipulus, ut multi afferunt, nunquam fuerat, et quo ante familiarissime visus erat, reconciliaretur, saepissime multis precibus ab eo contenderit, sed frustra. Fateor, in controv ersis Flacianis MELANCHTHONEM sui dissimillimum esse, et eius modestiam, mansuetudinem, pacis amorem et studium, alias tantopere celebratum, in illis desiderari. Verum e quidem putarem, bonum PHILIPPVM talia non commis surum fuisse, si consilio sapientissimi Principis Electoris IO HANNIS FRIDERICI, diuini illius martyris Iesu, qui olim apud LVTHERVM de tirubatione PHILIPPI conquestus erat 2), et cui admodum suspectus visus, ideoque ab illo publice monitus erat, ne alia profiteretur, quam quae LVTHERVS et ipse huc vsque docuerint 3), PHILIPPO, post fata LVTHERTI, adiungendi BRENTIVM in Academia et laboribus omnibus collegam, evenitus respondisset 4); et nisi tam ineptos et contentiosos clamatosque habuisset discipulos et socios, qui errores quoque et lapsus, qui ab eo non omnino alieni fuerunt, in numerum

dog-

1) JOHANNES MANLIUS in Collectaneis p. 359 2) SECKENDORFFIVS
I. c. lib. III §. LX. s. f. 165. 3) idem I. c. §. LXXXVIII. 2. f.
360. 4) RATZENBERGERVS in Historia arcana.

dogmatum religionis retulerunt. MELANCHTHONI enim vere accidit, quod de summis viris pronunciat QUINTILIANVS: summi enim sunt, homines tamen, acciditque iis, qui quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, (id enim est facilius,) ac se abunde similes putent, si virtutia magnorum consequantur 5). Existimo quoque, si IOHANNES BRENTIVS adfuisse, et adulatores illi discipuli, et sectatores procul ab eo absuissent, nec MELANCHTHONEM in articulo de sacra coena tam tristi modo titubaturum fuisse. Titubasse largiendum est, at deseruisse eum Lutheranam de sacra coena confessionem, nunquam concedendum 6). Nec tum habituros fuisse crederem Caluinianos, quo tantopere de probabili consensu PHILIPPI cum CALVINO gloriari possent. Quam enim pesime isti abusi fuerint titubatione illa MELANCHTHONIS e maledico THOMAE NAOGEORGII in sanctissimum LUTHERVM nostrum carmine appetet:

*Quid tu iudicium improbas PHILIPPI?
Prauasque euomis annotationes?
Nec cessas nibili sonare nugas?
Non coelestis eo indicas magistri
temet discipulum esse, sed LUTHERI.*

Qui

- 5) Institut. Orator. lib. X. c. I. vid. HUTTERI Concordia Conc. p. 507. 6) Consulendi sunt hanc in rem gravissimi auctores, qui eam erudite discusserunt. Refutatio Historiae Peuceriana, de sententia PHILIPPI MELANCHTHONIS, de controvrsia coenae Domini, a facultate Theologica in Academia Wittebergenſi, composita, Wittebergae MDXCVII. CONRADVS SCHLÜSSELBURGIVS Theologiae Caluinistarum lib. II. art. X. p. 84. HUTTERVS in Concordia concorde p. 333. sequ. LOESCHERVS in Historia motuum, parte II. lib. III. cap. III. p. 25. sequ. CYPRIANVS im Untericht von Kirchl. Vereinigung der Protestant en cap. VII. p. 156.

Qui quum plurima scripsiterit, per iram carnalem, et per aemulationem, ne succumbere cerneretur ulli:
 Tum de corporis in sacra synaxi tam praesentia inanier reali,
 quam crassa physicaque sumtione,
 doctorum veterum orbitam reliquit
 indulgens stomacho suo, ac honori
 consultum cupiens. Nec ille dogma
 defendit magis alsonum, minusque
 auditum prius inter ortodoxos:
 Praesertim vetus abnegans paparum
 commentum, subita super Lyaei,
 panis propositique versione,
 prolatis modo verbulis quibusdam.
 Ut recte negat hoc, ita haud quicunquam
 concors illius ullus aemulator,
 dirumpat licet ilia atque ventrem,
 scripturis, ratione nec probare,
 panem ac corpus idem esse vel fuisse
 Christi: aut veram aliam sumtionem
 ullam corporis, aut sacri cruxis,
 quam quae sit modo spiritu fideque.
 Signum percipiunt boni malique,
 sed diuersimode: boni ad salutem,
 contra ad perniciem mali. Sed ipsum
 signatum capiunt habentque soli,
 qui Christum sibi traditum esse credant,
 a culpis per eumque se redemptos.
 Si solum tibi cura veritatis,
 et pacis studium flagrans inesset,

nec

¶ ¶ ¶

nec soli male deditus LVTHERO,
 nullo examine, quae edidit probares,
 non illum, ex animo ferocieni
 scribentem temere atque litigantem,
 praeferres animi viro quieti
 sedatique MELANCHTHONI PHILIPPO,
 permultisque aliis piis bonisque,
 qui, nullo stomacho aur ferocitate,
 vulgaris neque quaestione laudis,
 magni nominis aut redēmptione,
 sanctis dogmata tradidere sacra 7).

En bonos Lutheranorum fratres Caluinianos! En egregios scilicet socios Augustanae Confessionis! Aliud est opprobrium MELANCHTHONI fieri solitum, a subscriptione articulorum Smalcaldicorum repetitum. Iam Cel. HEVMANNVS vulgarem verborum MELANCHTHONIS interpretationem incommodam esse, et a mente PHILIPPI alienam, demonstrauit, iisque loco quodam, ex ipsis articulis Smalcaldicis desumpto, mederi studuit 8). Dicam, quid sentiam. Si verba MELANCHTHONIS attente atque accurate considero, eum magnum Dialecticum deprehendo, (huius enim artis laudem ipsi nemo facile denegaverit,) qui, artificio dialectico usus, sententiam suam ingeniose proponit. Non simpliciter, sed sub conditione propositionem profert. Iam vero nemo est, quin intelligat, eam propositionem, in qua inest conditio impossibilis, aequipollere neganti. At talis conditio impossibilis inest in propositione MELANCHTHONIS: *De pontifice autem statuo, si Euangelium admitteret, posse ei - superioritatem in Episcopos - etiam a nobis permitti.* Conditio igitur est: *si Papa Euangelium ad-*

E

mit-

7) apud SCHLÜSSELBURGIVM l. c. lib. II. p. 131. 8) in Hessischen Hebr. opfer part. II. p. 624 sequ.

mitteret. Ut statim intelligatur, conditionem illam esse impossibilem, age, loquendi formulam commutabimus cum aequipollente: *si Papa fieret Lutheranus.* Euangelium enim admittere, et Lutheranum fieri, vere vnum idemque est. Voluit igitur sapientissimus vir, sententiam suam, de qua pontificii eam non intelligentes sibi multum gratulari poterant, ita proponere, ut inepta esse, quae postularet, intelligere posset Papa; Lutheranos quippe a Papa Antilutherano nunquam se regi passuros fore, nisi Papa ipse fiat Lutheranus. At Papam esse et manere velle, et Lutheranum fieri, duae sunt propositiones, quarum alteram tollit altera. Non leuis est macula, quam ei adspergit RATZENBERGERS, dum perhibet, ipsum haud exiguam e morte LVTHERI voluptatem ceppisse, vel ideo, quod nunc superiorem non haberet 9). Verum oratio a PHILIPPO in funere LVTHERI habita, quae dilucide ostendit, quanti illum fecerit, nos ea de re dubitare iubet 10). Et quam vehementer obitum eius doluerit, eius epigramma de morte LVTHERI ostendit:

*Occidit omnigena venerandus laude LVTHERV,
quem mecum fatus lugeat omnis homo.*

*Nunc luctumque suum lacrymoso carmine prodat,
hoc etenim orbatos fere, dolere decet II).*

Quid? quod, vnde此 annis ab obitu LVTHERI elapsis, eius adhuc fuerit reuerentissimus. Quum enim MDLVII. postremum cum pontificiis Wormatiae iniisset colloquium, ibi memoriam redeuntis in fastis natalis LVTHERI carmine celebravit 12), quod illustri est documento, vel cineres LVTHERI MELANCHTHONI venerabiles fuisse. Si MELANCHTHONI obiici-

tur,

9) in Historia arcana. 10) extat Declamat. tom. III. p. 19. 11) Epi-
gr. lib. II. p. 102. 12) extat Epigr. lib. II. p. 99.


tur, quod interfuerit nuptiis secundis Landgrauii Hassiaci PHILIPPI 13), easque (id, quod tamen a veritate abhorret, probauerit; vellem ut pontificii antea duos scrupulos mihi eximerent, quam certamen de indulgentia PHILIPPI iniirent. Primum, quod me vrget, est, num pontifices, fallere et falli scilicet nescii, olim recte et iure permisérint non digamiam, sed polygamiam? At hanc permiserunt, et quidem Iudeis 14). Alterum autem, verumne sit? quod sapientissimus Imperator MAXIMILIANVS de pontificibus dixit: *Papa egregie nos vexauit, ipse concessit nobis tantum unam uxorem, et ipse habet tot, quot vult.* Putat autem, licere sibi omne, quod liber, quia omnia iura habuit in scrinio sui pectoris 15). Postremo denique loco, inepta censura GODOFREDI ARNOLDI de MELANCHTHONIS studio et amore HOMERI excutienda est 16). In primis eum male habet, quod vel moribundus studiosis auctor suasorque fuerit, ne HOMERVUM e manibus deponerent. Miror, eum non aegre tulisse, MELANCHTHONEM optasse, ut HOMERVS Christum cecinisset:

*Civilis vitae normam videntque docetque,
quoniam oculis senior captus HOMERVS erat.*

E 2

Ab

- 13) SECKENDORFFIVS l. c. lib. III. §. LXXIX. Addit. III. h. f.
 278 14) SELDENI *uxor Ebraica* p. 51. edit. Frf. Conf. COLOMENSI Opera a I. A. FABRICIO edita p. 288. et p. 808. 15) IOH. MANNLIVS in *Collectaneis* p. 318. Adde aliud exemplum p. 376. 16) *in der K. u K. Historie* part. II lib. XVI. f. 106. Adde contra ARNOLDVM WINHEMIVM Declamat. tom. V. p. 289. *ultimo autem actus testis est certissimus, de tota eius superiori vita, animo et consilio omnibus, atque ostendit, quod nihil unquam spectauerit, aut quaesiverit aliud, quam gloriam Christi, et ecclesiae salutem.*
Tempus enim et hora mortis non fert hypocrisyn.



*Ab utinam haec musae canerent non numina falsa,
vnum sed patrem, maxime Christe, tuum! 17).*

Sed, praeter *άμεσον* ARNOLDVM, neminem fore existimauerim, qui reprehendat in MELANCHTHONE studium eruditio[n]is Homericae. Eodem certe iure reprehenderit in PAVLO, quod v[er]sus sit testimonio et auctoritate veterum poëtarum. At infelis esse ingenii arbitr[or], literas a cultore et studio[s]o veritatis diuinæ alienas esse velle. Quod igitur satis inepte vitio verit[er] MELANCHTHONI, quo infinite minor est, ARNOLDVS, id summae laudi eruditissimus quisque ei facile duxerit.

§. IX. Antequam de morte et funere MELANCHTHONIS dicam, quaedam de eo scitu haud iniucunda afferam. BAYLIVS de eo obseruat, illum subinde sub fictis nominibus latere voluisse, sed, praeter vnum eiusmodi nomen DIDYMI FAVENTINI, affert nullum, nec illum librum, qui eo nomine insignitus est, oculis usurpasse videtur; prouocat enim ad compendium huius libri, quod extat apud SECKENDORFFIVM, et, si finem libri vidisset, facile auctorem, sine aliorum testimonio, detegere potuisset. Titulus libri est: DIDYMI FAVENTINI *aduersus THOMAM PLACENTINVM pro MARTINO Theologo oratio*. In ea tum opinione erat MELANCHTHON, EMSERVUM latere sub personato isto PLACENTINI nomine ¹⁾), ideoque sub finem haec addidit: *In personatum Italogermandum bircum:*

ΕΜπιχθέντα κερῶν μεγάλων κρίσιο, αἰράξεις
ΣΕΙΡαις πολυπλόκοις, ὡς τράγη νῦν σαι κέρα,
ἐχεδιάζετο Φιλιππος δὲ ΜΕΛΑΙΧΘΩΝ.

AN. M. D. XXI.

Quod

17) 17) Epigr. lib. II. p. III. 1) SECKEND. lib. I. sect. 27. §. LXX. b.
f. 108.

Quod igitur initio libri celauerat, in fine manifestauit nomen suum. De fictio nomine FRANCISCI BVRCARDI aliisque, sub quibus subinde latuit, ubi locus fert, agit MYLIVS in Chronologia scriptorum eius. Sed haud raro PHILIPPVS sua scripta aliorum eruditorum nominibus insigniuit. Taceo, eum iuuenem adhuc in Academia Heidelbergensi orationes a senioribus Professoribus recitandas conscripsisse, quod idem fecit in Academia Wittebergensi ad obitum usque; taceo quoque, eum scriptorum publicorum Academiae Wittebergensis, fatis suis Professoribus Wittebergensis tomo IV. scriptorem et auctorem praecipuum fuisse, ut de libris modo dicam, quos praenotatis aliorum eruditorum nominibus emisit. Sunt illi *Chronicon CARIONIS* 2), *Iusti MENII liber de defensione concessa humano generi iure naturae* 3), *Praefationes in V. et N. Testamentum nomine LVTHERI editae* 4), et *Commentarii IACOBI MILICHII in secundum librum PLINII maximam partem* 5). Ad amoenitates PHILIPPI literarias pertinent eius responsiones ex tempore prolatae, admodum acutae atque ingeniosae, in quibus magna eius fuit ingenii felicitas. Ego paucas afferam. Quum aliquando de transubstantiatione disputaret cum Theologo gente Italo, quam ad Atheismum pronam esse vetus est opinio, ille vero transubstantiationem vrgeret, PHILIPPVS, *vos Itali, inquit, vultis disputatione, Deum seu Christum esse in Eucharistia, quem non creditis esse in coelo* 6). In comitiis Augustanis Ecclesiis sacerdotium a patre purpurato CAMPEGIO petierat, sed repulsam ferens, ira excandescens *venit ad PHILIPPVM MELANCHTHONEM, aliasque Lutheranae simul forte congregati*

E 3

ga-

2) MYLIVS l. c. p. 32. 3) idem p. 76. et RATZENBERGERVS l. c. apud ARNOLDVM parte IV. p. 89. 4) MYLIVS l. c. p. 28. 5) idem l. c. p. 46. 6) MELCH. APAMVS in *Vitis Theologorum* f. 358, ubi et alia quaedam addit.

gatos, et conquestus apud ipsos de tanta contumelia, tandem adiecit: *Quid vos mibi dabitis, ut deseram illos nebulones et vestras partes sequar ac defendam? Ad quae PHILIPPVS: Si causa nostra est vera, cur non sponte tueris veritatem? Ipse vero vivens, se suo testimonio esse coniustum, obmurus, atque ab ipsis recessit?* 7). Placidissimum et mirissimum virum bis in summum vitae discrimen adductum esse, memoriae proditum est. Prioris periculi historiam ipse exponit: *Mibi aliquando diuertendum forte fuit in quidam oppido papistico; ubi quoque hospitio erat exceptus sacerdos quidam papisticus, cum certo numero satellitum.* Aderat autem una comes a KHONIGSTEIN, et alius quidam vir eruditus, qui a mea parte erat. *Tum inter coenandum mibi unum atque alterum verbum excidit ex HOMERI Odyssaea, quam forte in manibus habebam. Ibi statim satellites cooperant suspicari, nos esse Lutheranos, et vitae nostrae insidiabantur: et nisi comes a KHONIGSTEIN mandasset hospiri, ut nos occultaret in inferiore parte aedium, prope pureum per noctem, et summo mane nos dimitteret, certe actum fuisset de nobis.* Sic nusquam non odium veteris serpentis aduersus Christianos, et e contra Dei clementissima defensio erga suos appareret 8). Posterior periculum nostro imminuit a Polono studioso die III. Iunii MDLV. in platea, nocte post horam decimam. Quum enim accessisset PHILIPPVS, ut hortaretur in platea tumultuantes, ut tumultuari desinerent, a Polono petitus est gladio, sed PHILIPPVS, multis ictibus venabulo exceptis, vi repressa, Dei beneficio incolmis evasit, Polonus vero siccarius ad octennium ex Academia proscriptus est 9). Multa refert MANLIVS de rebus ad historiam comitiorum Augustanorum pertinentibus. Verum quo hospitio ibi et quibus-

cum

7) MANLIVS in Collectaneis p. 373. 8) apud MANLIVM p. 27. 9)
Scriptorum publicorum Acad. Witreb. tom. III.

cum usus sit, nec apud illum, nec apud aliū quendam reperio. Sed IVSTVS IONAS, in Bibliis Bombergianis MDXVIII. impressis, de hospitio eo quaedam memoratu haud indigna sua manu annotauit, quae, prout ibi leguntur, propter αἰνέδοτον de fide Bombergiana transcribam: DANIEL BOMBERGA. Anno MDXXX. vidi hunc Danielem Augustae in comitiis, et in prandio ac coena fuimus cum eo D. PHILIPPVS, SPALATINVS, et ego. Vsque ad Iudaismum valde iudaizabat, siquidem aspernator sae doctrinae, bat in die zw̄tymal hundert tausend Guldens gewandt uff hebräisch Bücher trucken in Venedigk. Erat egregius insigni statura vir, dignus, qui cognosceret Xερσὸν τὸν οἰκηθόντα Θεόν. Et alia pagina: Cum DANIELE BOMBERGA, qui hac Hebraea Biblia impressit, Augustae anno MDXXX. in comitiis in domo ANDREAE REMEN fui in prandio cum D. PHILIPPO MELANCHTHONE et D. SPALATINO, eine lange schwarze ehrliche Person. De imagine gypsea MELANCHTHONIS ad finistram cathedrae LVTHERI suspensa, et a LEONHARDO HVITERO in feruore, vt aiunt, disputandi deiecta, fracta et pedibus conculcata, nihil addam.

§. X. Supersunt pauca de morte et funere MELANCHTHONIS afferenda. Ille die XII. Aprilis die Veneris, ante Paschatos festum, MDLX. postremam habuit in verba Iesaiæ LIII. *Quis credit sermoni nostro etc. lectionem, quem febri iam ante quinque dies oppressus esset.* Mortis horam imminere sibi praesenserat. 1). Quum morbo conficeretur, nihil ipsi magis curae cordique fuit, quam salus ecclesiae; dixit enim prius quam moreretur: *non morbo mouor, neque villa est sollicitus.*

1) WINSEMIVS Declamat. tom. V. p. 289.

citudo, quae animum meum angit, aut perturbat; una cura est,
 una sollicitudo, ut ecclesiae sint in Christo concordes. Multi in
 articulo mortis affuerunt Professores, inter quos PAVLVS EBERVS
 fuit. Hic recitauit verba Iohannis: *Dedit eis potestatem, ut fi-
 lii Dei fiant, qui credant in nomen eius.* Ad quae PHILIPPVS,
 sublatis oculis et manibus, dixit: *Hoc dictum animo meo
 semper obuersatur.* Postrema eius vox fuit, quam, donec
 spirare potuit, saepius repetiit: *Deus miserere mei, per Chri-
 stum filium tuum* 2). Tandem septimo paroxysmo febris cor-
 ruptus, paulatim impedita spiratione, similis inchoaturo so-
 mnum profundiorem placide obdormiuit, integris usque ad
 extremum sensibus, et mente rectissime sibi constante 3).
 Quum sine sensu mortis, spirare desisset, quasi obsopitus ia-
 cuit, neque illa in facie apparuit deformatio, aut lineamen-
 torum mutatio, sicut in morte fieri solet 4). Fuit ei ho-
 ra fatalis septima vespertina die XIX. Aprilis die Veneris, post
 Pascha MDLX. Exuviae repositae sunt in sandapila plum-
 bea. Funus vero deductum est Dominica Quasimodogeniti
 ab aedibus PHILIPPI, in templum parochiale, indeque,
 auditio sermone sacro D. PAVLI EBERI, in templum arcis,
 ibique, habita a VITO WINSHEMIO oratione funebri, prope
 tumulum LVATHERI conditus est. Addam ea, quae et Aca-
 demia et Ordo Theologorum in Albis suis de morte PHI-
 LISSI memoriae prodiderunt. In Albo Academiae haec de
 morte nostri leguntur: *Extinctus est placidissime inter assi-
 duas preces, et assiduos gemitus in complexu suorum, febre,
 quae purgatorias episcopias habuit, die decimo nono mensis
 Aprilis, paulo ante septimum noctis, cum febris primo eum
 corripuisse die eius mensis septimo. Exultas certissima et*
 fir-

2) idem l. c. p. 290. 3) Scriptorum publ. Acad. Witteb. tom. IV.
 O. 4. 4) WINSHEMIVS l. c. p. 290.

firmissima spe futurae resurrectionis inclusas sandapilae plumbeae Academia sepeluit in templo arcis, soluens patr., parro-no, praeceptor, et rectori fidelissimo et carissimo, et de ecclesiis et scholis vniuersis, instauratione optimorum studiorum, et doctrinae coelestis explicatione, et propagatione praeclarissime merito, pietatis et gratitudinis officium postremum. Theologи vero haec in memoriam obitus PHILIPPI in Albo ordinis sui scripserunt: Eodem anno 1560. die 19. April. quae erat feria iuxta post Pascha, reuerendus et clarissimus vir, omni omnium praeconio et laude maior, et de studiis vniuersis, ecclesia, et hac Academia, et plurimis sigillatim optime meritus PH. M. post septimum paroxysmum tertianae febris, obdormienti, quam morienti similior, circa horam vespertinam septimam obiens, sanctam animam Christo redemptori suo commendauit, luctum ineffabilem toti coetui docentium, et discendentium, et ciuium post se relinquens, cuius exuviae die dominica sequenti, quae in albis nominatur vulgo Quasimodogeniti, delatae primum in templum parochiale, et inde, post funebrem concessionem habitam a Pastore D. PAVLO EBERO, in arcis templum perlatae, terrae mandatae sunt non procul a LUTHERI sepulcro. Quem ranti viri obitum quum tristissimum bonis omnibus et luctuosissimum esse probe intelligeret sapientissimus Saxonum Princeps Elector AVGSTVS, ad consolandam Academiam, obitu summi illius viri omnium maxime afflictam, duos interpres clementissimae voluntatis suae Wittebergam misit, ERASMVM a KONRITZ, et LAVRENTIVM LINDEMANNVM J. U. Doctorem, quae res Academiae significata est oratione a GEORGIO MAIORE habita 5). Lectiones PHILIPPI, post obitum eius, quatuor Professores conti-nuarunt. VITVS ORTELIVS quatuor lectiones ab eo incep-tas,

F

Dua-

5) extat Declamat. tom. V. p. 292.



*Dialecticam, EURIPIDEM, linguae Graecae collegium, et Acta
Apostolorum, PAVLVS EBERVUS duas lectiones, Enarrationem
Epistolae ad Romanos, et lectionem maturinam diebus Domini-
nicis, CASPAR PEVCERVUS vnam lectionem in Chronicum PHILIP-
PI, et PETRVS VINCENTIVS vnam lectionem in Ethicam, ab-
soluendas in se suscepserunt 6). En senem, tot laboribus
et annis confectum, octo Collegia legentem! Hic profecto
meruit Elogium virtutum ac laudum, quas orbis non cepit,
quid mirum? laminae aereae spatium illud non admisisse:
PHILIPPO MELANCHTHONI sacrarum literarum solertiaff. et fi-
deliss. explicatori, veritatis coelestis patrono et propugnatori
in primis strenuo, Opt. disciplinarum et artium cum instaurato-
ri, tum conseruatori: qui omnem doctrinam quasi vagam ac
dissiparam collegit, et ad certam rationem reuocauit: viro pi-
etate, studio purae castaeque religionis, sapientia, virtute, hu-
manitate, benignitate erga omnes praestanti, feliciter et san-
cte in terris mortuo XIII. Cal. Maii. C. V. Ann. LXIII. M.
II. D. II. H. I. Academ. Witteberg. cui ille totis ann. XLII.
operam nauasset H. M. P. C. 7)*

Cuius inscriptionis elegantissimae sententiae VI. iuueni-
bus ornatissimis, diligentiae et pietatis laude florentibus, ar-

gu-

- 6) Script. publ. A. W. tom. IV. 7) Extat hoc epitaphium apud
CAMERARIUM p. 420. et in Scriptis publicis A. W. tom IV. O. 7.
Narrationi de obitu MELANCHTHONIS BUCHOLZERVUS in Indice Chro-
nologico p. 656. haec subiecit: Estque annus hic a Confessione
Augustana, quam ille scripsit, 30. a morte LUTHERI 14. Natalis
LUTHERI et PHILIPPI distant ann. 14. Vtriusque etiam obitus to-
tidem annis distat. Et sicut ab initio disputationum LUTHERI
contra scholasticos usque ad obitum eius intercesserunt ann. 30. ita
ab anno 1530. quo PHILIPPVS scripsit Augustanam Confessionem,
ad obitum PHILIPPI sunt anni 30.

gumentum praebebunt, celeberrimum vniuersae Germaniae
praceptorum cras, ipso die, qui ante ducentos annos illi fa-
talis fuit, ab hora IX. matutina, decentissimis laudibus orna-
di. Orationibus enim celebrabitur a

- I. CAROLO THEOPHILO HAVPTMANNO *Lübbenavia Lusatia*, PHI-
LIPPVS MELANCHTHON sacrarum literarum solertissimus
et fidelissimus explicator,
- II. BALTHASARE GOTTLÖB HENNIGIO *Breucha Misnico*, PHIL.
MELANCHTHON veritatis coelestis patronus et propu-
gnator in primis strenuus,
- III. CASPARO GODOFREDO FÜLLKRUSSIO *Grimma Misnico*,
PHIL. MELANCHTHON optimus disciplinarum et artium
cum instaurator, tum conseruator,
- IV. FRIDERICO CHRISTIANO GÜNTHERO *Leulitzio Misnico*,
PHIL. MELANCHTHON, qui omnem doctrinam quasi va-
gam ac dissipatam collegit et ad certam rationem re-
vocauit,
- V. SALOMONE FRIDERICO SCHLETERO *Leisniga Misnico*,
PHIL. MELANCHTHON vir pietate, studio purae castae-
que religionis, sapientia, virtute, humanitate, beni-
gnitate erga omnes praestans,
- VI. CAROLO WILHELMO a CARLOWITZ, *Equite Misnico*, PHIL.
MELANCHTHON feliciter et sancte in terris mortuus

Ad

Pg 6421 6A

Ad quos beneuole audiendos, vt conueniant viri, eruditio[n]is
laude ac munerum dignitate maxime conspicui clariſſimique,
humanissime rogo P. P. in ill. schola prouinciali Grim-
mensi, die XXIX. Aprilis, A. R. S. H. MDCCCLX.



X2502218

B.I.G.



MEMORIA
PHILIPPI MELANCHTHONIS

ANTE DVO SAECVLA MORTVI

EXERCITATIO HISTORICO-CRITICA
FRIDERICI IMMANVELIS SCHVVARZII



TORGAVIAE,
LITERIS RÜDELIANIS.

